

PRAEPOSITURA : DOXANA

Jam abhinc 150 annis monasterium Sororum Praem. Doxana ab imperatore Josepho II abolitum est.

Adveniente praeposito Steinfeldensi Eberwino in Strahoviam a Vladislao duce Bohemiae ejusque uxore voluntas patefacta est, ut etiam parthenon sororum Praemonstratensium in Bohemia fundaretur ¹⁾. Eberwinus domum reversus e Donewald, monasterio sororum, in quod habebat jus paternitatis ²⁾, in Bohemiam sorores mittere decrevit. Sumptibus conjugum ducalium ad flumen Egra prope Litomerice monasterium aedificari coeptum est ³⁾, ubi prius vivarium eorum erat. Nova domus Doxana nominata est. Coniugibus ducalibus, episcopo Henrico Zdik, praesentibus ecclesia die 18 Septembris a. 1145 ab Ottone de Svabenic, episcopo Pragensi, dedicata est. Die 19 Septembris e.o. Zdik novum monasterium inauguravit, cuius fundamenta a. 1144 consecraverat ⁴⁾. Ecclesia autem aedificata est stylo romano et certe iam tunc duos choros — sicut hodie — habuit ⁵⁾. Bona parthenonis, quae e fundis constabant, a Vladislao ejusque uxore et episcopo Zdik donata sunt ⁶⁾. Cura horum bonorum nec non cura animarum praeter praepositum Erlebold etiam nonnullis fratribus e Strahovia commissa est, quae in Doxana habebat « jus paternitatis » ⁷⁾.

Praepositus Erlebold (1142-1160) magno cum successu ornatum ecclesiae parthenonis curabat, praesertim amplam cryptam in qua 4 Augusti a. 1151 fundatrix ducissa et regina Gertrudis et religiosae

1) *Fontes Rer. Boh.*, II, 467 : « Construxit Vladislaus et aliam ordini nostro domum in Doxan, locans ibi religiosas feminas, quas de Dunewald etc. »

2) *Annal. Praem.*, II, c. 853.

3) *Annal. Praem.*, I, Prob. DXVIII ; *Fontes Rer. Boh.*, II, p. 420, cfr. Mikraeus, *Ord. Praem. Chron.*, p. 57.

4) Jos. Mika, *Das ruhm. Doxan*, p. 4, 5, 10 et seq.

5) Lehner, *Dejiny umeni nar. c.*, I, p. 104.

6) Erben, *Regesta*, I, p. 325 n. 705.

7) *Annal. Praem.*, t. I.

sorores postea sepeliebantur ⁸⁾. Multi benefactores donis suis bona parthenonis novi auxerunt, e.gr. episcopus Pragensis, dux Henricus Bretislaus, qui sororibus amicissimus erat ⁹⁾. Ex necrologio Doxanensi possumus cognoscere, quatenus etiam benefactores praeter fundos dederint. Sic ad 7 Aprilis legimus : « Adalbertus, archiepiscopus Salisburgensis », frater noster, dedit sexaginta marcas et cappam pretiosam et pallium auro textum ; episcopus Henricus Bretislaus dedit — ad 14 Junii — de tentorio suo ornamenta altarium auro texta ; Margaretha, soror ducis episcopi Henrici Bretislai — ad 13 Julii — dono dedit conventui 20 marcas argenti ; Vladislaus, marchio Moraviae, filius regis, dedit ecclesiae huic (id e. Doxan.) centum marcas et pretiosam imaginem s. Mariae pro quinquaginta marcis — ad 11 Augusti. » Exemplo familiae regiae (Elisabeth, Margaretha, episcopi Henrici Bretislai sorores, Agnes filia reginae Gertrudis, b. Agnes, soror regis Venceslai I) etiam nobiles filias suas in monasterio Doxanensi educandas curabant, multae earum etiam habitum regularem acceperunt ¹⁰⁾.

Anno 1200 monasterium conflagravit et post annum iam ex parte restitutum est ¹¹⁾. Temporibus praepositi Bertholdi coincidunt variae adversitates bellicae, quibus parthenon admodum premebatur ¹²⁾. Sub praeposito Guntero (1219) rex Premysl Ottocarus benignum monasterio se praestitit et a. 1226 omnia iura et bona Doxanensia approbavit ¹³⁾. Anno 1232 fundavit parthenon cum permissione regis Venceslai in Monte regio urbem Kynsperk ¹⁴⁾. Praepositi Guntherus (a. 1234), Gerardus (a. 1237) et Fabianus (a. 1242) diligenter studebant, ut statum monasterii amplificarent ¹⁵⁾. Post Fabianum Hermannus (a. 1249) exstinxit ultima vestigia incendii a. 1200, nam loco bibliothecae combustae novam aedificavit et archivum fundavit ¹⁶⁾. Etiam successor regis Premyslai Ottocari I,

8) Lehner, *l. c.*, II, p. 355 ; Vaclav Novotny, *Ceske Dejiny*, I, p. 841.

9) *F. R. Boh.*, II, 513.

10) *F. R. Boh.*, II, 419. *Necrol. Doxanense*, ad 13 Julii, 14 Augusti.

11) Mika, *l. c.*, p. 23 ; Lehner, *l. c.*, II, p. 354.

12) Fr. Vacek, *Socialni dejiny c. d. st.*, p. 500.

13) *Annal. Praem.*, I, DXVIII ; Mika, *l. c.*, p. 23, 105 ; Erben, *l. c.*, I, p. 325, n. 705 : « finis approbationis regis est : Omnis itaque, qui Doxanensem donum gravare praesumpserit et haereditates ipsius a Nobis vel ab aliis collatas contumaciter aggravare vel impetere temptaverit in perpetuam damnationem cum Sathano damnato ab omnipotente Deo aeternaliter involatur. Amen. » G. Friedrich, *Codex diplom.*, II, p. 280.

14) Dlabac, *Memoriae*, t. II, a. 1232 ; Mika, *l. c.*, p. 14.

15) Dlabac, *Memoriae*, t. II, a. 1240, 1242 ; Mika, *l. c.*, p. 105.

16) Dlabac, *Memoriae*, t. II, a. 1249 ; Mika, *l. c.*, p. 105.

Venceslaus I., privilegia Doxanensia approbavit ¹⁷⁾, quod post eum a. 1261 etiam Premyslaus Ottocarus II. fecit ¹⁸⁾. Has approbationes utriusque regis praepositus Godefridus ¹⁹⁾. (a. 1249-1262) assecutus est, anno 1262 ex Doxana in Strahoviam vocatus, ubi primo coadiutor abbatis Joannis I evasisse videtur. A. 1263 Hermannus ²⁰⁾, successor Joannis, nominatur. Conrade (a. 1268-1276), qui post eum regnabat, obtigit approbatio omnium privilegiorum Doxanensium a Pontifice Gregorio X. a. 1273 facta ²¹⁾. Sub Joanne II (1276-1282) ²²⁾ monasterium magna calamitas afflixit, erat nempe ab exercitu Ottonis de Brandenburg a. 1278 inflamatum. Canonissae tunc fuga in silvas prope Chvalin sitas et inde in urbem Litoměřice se servaverunt ²³⁾.

Joanni praeposito eiusque successoribus Petro I (a. 1282) et Siffrido (a. 1295) difficile erat ²⁴⁾ vulnus a. 1278 afflictum emendare, nam praeter combustum monasterium etiam bona exspoliata sunt et propter tenuem messem posterius exortam bona parthenonis augeri non poterant ita, ut domus religiosa restitueretur. Hocce in studio Doxana attolendi, praepositum Edmundum a. 1295 incommodum oppressit, quod monasterium vix renovatum iterum conflavit ²⁵⁾. Benefactores autem eum et Simonem praepositum (a. 1310) ²⁶⁾ adjuvarunt ita, ut ecclesia et parthenon a. 1310 resplenderent, plane renovata. Propter fertilitatem in fundis monasterii factam Simoni contigit bona abalienata coemere. A. 1307 omnia iura Doxanensia Pontifex Bonifacius VIII approbavit ²⁷⁾.

Sub regimine principis Henrici de Carinthia turbae eiusdem monasterio pepercerunt, quamquam aliae domus Praemonstratenses multa perpressae sunt; propterea etiam a. 1312 parthenon multum ad imminuendam inopiam conferebat, quae ex tenui messe orta est ²⁸⁾. Post Simonem Benedictus I praepositus erat (a. 1315), post

17) Emler, *Regesta*, II, p. 241.

18) Emler, *l. c.*, II, p. 112.

19) Mika, *l. c.*, p. 105.

20) Emler, *l. c.*, II, p. 169.

21) Emler, *l. c.*, II, p. 333; *Annal. Praem.*, I, DXXII, Mika, *l. c.*, p. 31.

22) Emler, *l. c.*, II, p. 445, 548; Emler, IV, p. 818; Mika, *l. c.*, p. 106.

23) Mika, *l. c.*, p. 36, Dlabac, *Memoriae*, II, a. 1278.

24) Emler, *l. c.*, II, p. 650, 665; *Annal. Praem.*, CCCCCXXII.

25) Emler, *Regesta*, IV, 748; Mika, *l. c.*, p. 106; Dlabac, *Memoriae*, ad a. 1295.

26) Emler, *l. c.*, II, p. 916.

27) Mika, *l. c.*, p. 29.

28) Mika, *l. c.*, p. 106.

eum erant : Godefridus II (a. 1318), Nicolaus (a. 1318-1327), Petrus II (a. 1327), Zbislav (a. 1350). Theodoricus (a. 1352), Florianus (a. 1354) ²⁹⁾. Aetate ab a. 1336-1341 erat in Strahoviensi monasterio tempus controversiarum de sede abbatiali. Anno enim 1330 electus est Theodoricus a Rheno, abbatis Thilmanni successor ; sed electio a generali capitulo irrita declarata est et e Gradicio Petrus Voislavi abbas datus. Sed contra hunc Petrum ³⁰⁾, qui Bohemus erat, canonici Germani in Strahovia protestabant et anti-abbatem Hildeggerum a Rheno sibi elegerunt. Hisce controversiis vero Sedes Apostolica se interposuit, quae sub Pontifice Joanne XXII novi abbatis Strahoviensis nominationem, iam abbate Gerhardo adhuc vivente, sibi reservavit ³¹⁾. De hac reservatione neque generale capitulum, neque fratres Strahovienses sciebant. Post longas Hildeggerum inter et Petrum lites, in quibus bona Strahoviensia magnum detrimentum capiebant ³²⁾, a. 1342 Sedes Apostolica Petrum abbatem agnovit, hic et ius pontificalium accepit ³³⁾.

His temporibus certum est eam partem, quae Strahoviae vicisset, etiam praepositum Doxanae substituisse aut, qui prius praepositus fuisset, eum revocasse. Hac in turbulenta aetate, quam Strahoviensia, tam Doxanensia bona premebantur, nam praepositus Theodoricus (a. 1328) rogat regem Joannem, ut monasterio concederet « bona locare et exponere », aliter monasterium perituum esse ³⁴⁾. Cum in domo Strahoviensi meliora tempora evasissent, etiam Doxanae res meliores factae sunt. A. 1357 erat praepositus Alexander, cui succedunt : Petrus III (a. 1380), Vincencius (a. 1380), Benedictus (a. 1383), Jimram (a. 1384), Nicolaus II (a. 1417), Petrus IV (a. 1420). Omnes hi praepositi studebant mederi vulneribus a. 1336-1342 affictis, qua in re rex Carolus IV eos adjuvabat et a. 1358 omnia iura et privilegia monasterii approbavit ³⁵⁾. A. 1344 petiit parthenon a Clemente II, ut Pragam transferretur, archiepis-

29) Emler, *l. c.*, II, p. 916 ; IV, p. 139, 257, 288, 139 ; III, p. 580, 676 ; IV, p. 380, 538.

30) *Monumenta Vaticana* (Acta Clementis) p. 32.

31) *Monum. Vaticana*, p. 32 ; *Urbarium Strahov*, de a. 1336-41 ; Emler, *l. c.*, IV, p. 286, 295.

32) Petrus de Cachrov in *Urbario Strahoviensi* : tota abbacia defecit, quod sola aratura in Petrino remanserat et VIII strichones in Sezechowicz, Tomek, *Dejepis miesta Prahy*, I, p. 596.

33) *Monum. Vaticana* (Acta Clem.), p. 223, 228.

34) Emler, *l. c.*, IV, p. 252 : ... quod nisi eidem celeri occurratur remedio... alias perire utique oportet.

35) *Annal Praem.*, I, DXXXII, Mika, *l. c.*, p. 42, 45, 46.

copus vero Ernestus necessitatem huius non agnovit ; archiepiscopus a Clemente II enim erat in hac re delegatus ³⁶). Sub praeposito Jimram a. 1399 a Pontifice Bonifacio IX. monasterium liberatum est decimas dare ³⁷). Tempore praepositi Nicolai II et Petri IV devastatio Strahoviae ab Husitis cadere videtur ³⁸), nam post eorum resignationem Diepoldus de Rizemberk, canonicus Teplensis, Doxanensibus sororibus praepositus datus est ³⁹). Tunc solum enim monasterium Teplense a ruina per Husitas allata servatum est. Diepoldus vero magnas aerumnas perpeti debebat ; nam a. 1421 monasterium ab Husitis deletum est, sorores in urbem Litomerice ad tempus se contulerunt, ubi manuum labore aegre vitam tolerabant ⁴⁰). Tunc nonnulla bona parthenonis a vicinis Husitis direpta sunt et alia ab imperatore Sigismundo eius fautoribus donata, quamquam praepositus ab imperatore iura monasterii approbata, necnon promissiones accepit, sua bona ab imperatore redditum iri, sola promissio mansit ⁴¹). Ideoque sorores in monasterio suo in magnis angustiis vivebant, a. 1456 ⁴²) saltem ius assecutae, ut bona sua coemere posset. Utique propter difficultates nummarias hac in re nedum in ecclesia monasterioque renovandis pedetantim procedebatur.

Praepositus Venceslaus a. 1641 erat e Lucensi canonica, e quo colligi potest Strahoviam nondum habuisse copiam sibi ascriptorum, qui ad praeposituram apti essent ⁴³). Post Venceslaum (a. 1501), sub quo numerus sororum valde crevit et aedificium conventus exstructum est, Joannes III Cipra praepositus erat ⁴⁴), posthac erat Stanislaus (a. 1503) et a. 1515 Joannes IV Buchauer. Sub isto praeposito Joanne parthenon novum sigillum accepit ⁴⁵).

Sub praeposito Joanne V Freiwald (a. 1563) bona copiose redimebantur et monasterium a rege Ferdinando I adiutum florere coepit ⁴⁶). Tunc ecclesia adaucta, parochiae parthenoni incorporatae

36) *Mon. Vatic.* (Acta Clem.), p. 224, 250. Ferd. Padra, Kulturni styky s cizinou p. 90.

37) *Mon. Vaticana*, II, (Acta Urbani et Bonif.), n. 1271.

38) *Mika*, c. I., p. 108.

39) B. Dlabac, *Memoriae*, ad a. 1420 ; *Mika*, I. c., p. 49, 108.

40) *Archiv Cesky*, VIII, p. 492 ; *Mika*, I. c., p. 49, 50.

41) *Mika*, I. c., p. 53.

42) *Annal Praem.*, I, DXXVII ; *Mika*, I. c., p. 54.

43) *Archiv Cesky*, VIII, p. 489, 495, 500, 511, 512.

44) *Archiv Cesky*, VIII, p. 534 ; *Mika*, I. c., p. 108.

45) *Archiv Cesky*, VIII, p. 556, 569 ; *Mika*, I. c., p. 57.

46) *Mika*, I. c., p. 60.

rebus liturgicis locupletatae, aedes conventus ad finem perducta, domus praepositi aedificata ; bona meliorata et omnia iura stricte definita ⁴⁷⁾. Has omnes res post Joannem V perfecerunt successores eius : Leonardus Schütz (a. 1575), Vitus Herold (a. 1585), Andreas Werner (1587-1591) ⁴⁸⁾, qui omnes e canonici Teplensi oriebantur. Demum a. 1591 iterum e Strahovia opera Joannis Lohelii Joannes Voit ⁴⁹⁾, praepositus vocatus est, et post eum a. 1598 Joannes Conradus breviter parthenon gubernabat, translatus a. 1600 a J. Lohelio Vratislaviam.

Quoniam tunc bona (3000-4000 toll. boh.) parthenonsis sat ampla erant, debebat sub praeposito Sigismundo Kohel (a. 1600-1607) et Melchiore Römer (a. 1607-1621) iussu regis multos emeritos ministros aulicos alere ⁵⁰⁾. Tempora vero incremento Protestantismi initio saec. XVII parthenoni aliena evaserunt ; nam a. 1619 monasterium a Protestantibus expoliatum est et sorores fuga Raudnitium se servaverunt ⁵¹⁾. Post a. 1620 res ad tempus meliores redierunt. A Questenberg abbate Strahoviensi Crispinus Fuk Doxanae praepositus datus est (a. 1621-1637), qui praelatus regni Bohemiae factus ⁵²⁾, ab Urbano VIII a. 1628 ius pontificalium accepit ⁵³⁾.

Aetas praepositi Fuk eiusque successoris, Norberti ab Ameluxen (a. 1637-1649) erat aetas monasterio gravissima. A. 1631 Saxones, a. 1632-35 exercitus caesarei et hostium, a. 1639, 1642, 1646 Suedi malam nominis sui commemorationem reliquerunt. Sorores in urbem Litomerice et Pragam confugerunt ⁵⁴⁾. Demum sub praeposito Nicolao Plutzer (a. 1649-1654) iterum tempora quietis successerunt ⁵⁵⁾.

Praepositus Cyrillus Hofmann (a. 1654-1669) titulo secundi conditoris monasterii iure meretur, nam totam vitam suam dicavit Doxanae restituendae ⁵⁶⁾. Opera eius etiam successores eius, Stephanus Kielmann (a. 1670-1678), Hyacint Hohmann (a. 1679), Dominicus Girth (a. 1679-1689), Franciscus Waldhauser (a. 1689-1692), Bruno Kunovsky (a. 1692-1709), Josephus Mika (a. 1709-1733), Benedictus

47) Mika, *l. c.*, p. 61, 62.

48) *Necrolog. Doxanense* (ed. Jos Emler, *Vestník kral. spol. nauk*, a. 1884 p. 83-144) ad a. 1591 ; Mika, *l. c.*, 109.

49) Mika, *l. c.*, p. 109 ; *Necrol. Doxan.*, ad 18 Julii.

50) Mika, *l. c.*, p. 109 ; Sigism. Winter, *Život církevní v Čechách*, p. 717.

51) Mika, *l. c.*, p. 64, 65.

52) Mika, *l. c.*, p. 110.

53) *Annal. Praem.*, I, DXXXI ; Mika, *l. c.*, p. 11.

54) Mika, *l. c.*, p. 67, 74-88.

55) Mika, *l. c.*, p. 94, 98.

III Bayer (a. 1733-1754), prosecuti sunt. In serie istorum praepositorum eminet Josephus Mika, scripsit enim historiam parthenonis : « Das ruhmreiche Doxan », Leitmeritz a. 1726, et cura eius ecclesia Doxanensis speciem styli italici induit (a. 1718-1729), prout usque ad hodiernam diem manet ⁵⁷⁾. Sola crypta, stylo romano aedificata, permansit, tamquam testis artis saeculi XII. Crypta, qua hodie (annuente generali abbate Sigismundo Stary) familia Aehrenthal utitur, ab A. Wolf a. 1889 restaurata est ⁵⁸⁾.

Cum ecclesia omnes aerumnas etiam monasterium compatiebatur, quod saec. XVII. valde detritum est, propterea a. 1697 nova aedes conventus aedificata est a. 1692 nova praepositura, denique saec. XVII horti sororum et aedes conventus intus et plura alia circa monasterium exornata sunt ⁵⁹⁾. Templum hodie habet duos choros et tres naves. In fornice et parietibus imagines pinxit Joan. Hiebel (a. 1681-1755), altaria vero exornaverunt imaginibus et sculpturis : Fr. Lauermann (a. 1774), Petrus Brandl, Ludov. Kohl. G. Redelmayer, Carolus Skreta ⁶⁰⁾.

Praemonstratenses sorores non solum magnificum templum cum tribus turribus et magna, pulcherrima coppa exstruebant, sed etiam ecclesias suas parochiales in fundis monasterii, nec non ecclesias incorporatas diligenter custodiebant aut novas aedificabant. A. 1384 parthenon possidebat hasce parochiales ecclesias : Mur, Redhost, Bohusovice, Pocaply, Kmetineves, Dolanky ⁶¹⁾. Ecclesia Mur vel s. Clementis erat saec. XV et XVII restaurata, demum saec. XVIII stylo italico induta (hodie ecclesia est sublata). Ecclesia Redhost saec. XVIII. restaurata item ex parte stylo italico. Ecclesia Bohusoviensis a. Suedis a. 1623 diruta ab Jos. Mika iterum exaedificata. Ecclesia in Kmetineves a. 1730 denuo aedificata. Ecclesia in Dolanky a. 1588 amplificata et a. 1675 denuo exaedificata. A. 1591 nova ecclesia in pago Libotenice erecta est et a. 1703 penitus restaurata.

A. 1754 Josephus eques de Winkelbourg praepositus vel abbas Doxanensis ⁶²⁾ factus et, qui tempore belli Borussiaci a. 1756, 1757 et posterius a. 1778 sat multum cum sororibus perpressus est.

56) Mika, *l. c.*, p. 110.

57) Lehner, *l. c.*, II, p. 354, 355.

58) Lehner, *l. c.*, II, p. 357.

59) *Soupis pamatek* (Roudn. Okres) p. 65 et seq.

60) *Soupis*, p. 72 et seq.

61) *Soupis*, p. 74; Lehner, *l. c.*, II, p. 355.

62) Dionys. Albrecht, *Manuale can. Praem.*, p. 122.

Propter magnificentiam ecclesiae, parthenonis, divitias bonorum suorum Doxana ad finem saec. XVIII ad clarissimas domus regulares pertinebat. Sed a. 1782 monasterium Josepho II regnante sublatum est ⁶³⁾. Sorores aut in alias domos regulares, aut ad suos cognatos abierunt.

Ultima soror a. 1837 in Strahoviensi villa Patek prope Louny mortua est (Augustina Hell). Ultimus praepositus in Strahovia a. 1797 obdormivit. Agri parthenonis a. 1782 « fundo religionis » dicto obtigerunt et posterius variis nobilibus venditi sunt, nunc ab a. 1804 possidet eos familia ab Aehrenthal. Ecclesia Doxanensis excepto monasterio, quod est familiae Aehrenthal, pertinet ad Strahoviam; in hac tamquam parochiali et in veteris parochiis, prius Doxanensibus, idem monasterium per sacerdotes suos curam animarum exercet.

Libri bibliothecae sororum multi perierunt, unam partem cum archivio possidet bibliotheca nationalis Pragae, aliam partem librorum monasterium Strahoviense, qui sigillo Doxanensi insigniti sunt. In festo Nativitatis B. M. V. ecclesia Doxanensis iam saec. XVI a peregrinantibus frequentata est, sublato monasterio hae peregrinationes ad tempus cessarunt, tempore vero recenti renovatae sunt.

Velka Chyska.

V. ONDRACEK.

63) J. a. s. Jos. Schaller, *Topographie des Königr. Böhmen*, I, p. 200 et seq.